



# Disputatio juridica de contrahenda emptione et venditione

<https://hdl.handle.net/1874/345156>

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE

CONTRAHENDA E M P T I O N E  
ET V E N D I T I O N E.

Q U A M  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicī consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decretō,

Pro summis in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

Eruditorum examini subjicit

JOHANNES JACOBUS DE FAMARS, Meno-Francosurt.

Ad diem 7. Septembris, horâ locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, c̄lo lcc xci.

VIR O Illustri,  
NICOLAO WITZEN,  
Consulari dignitati apud Am-  
stelodamenses conspicuo, hoc  
tempore adscripto confessui  
Præpotentium Ordinum Hol-  
landiæ qui est Hagæ Comi-  
tis , antehac legato fœdera-  
torum Belgarum ad Potentif-  
simum Magnæ Brittaniæ  
Regem.

*Disputationem hanc Inauguralem  
ea qua par est submissione*

Consecrat

JOHANNES JACOBUS DE FAMARS.  
*Auct. & Resp.*



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

D E

# Contrahenda Emptione & Venditione.

THESES I.



Ontractus hujus, quæ sit utilitas, quæ necessitas, nemo est qui ignoret, quare præstat tacere quam pauca loqui, quod & nos faciemus, priusquam autem ad exponendam materiam progrediamur, paucis verbis de vocum significatione placet differere.

II.

*Emere* derivatum videtur ab *emere*, quia in emtione id agitur ut res mea fiat, et si olim etiam emere diceretur tam qui rem quam qui usum rei suum faciebat, sicut & qui locabant vendere dicebantur, postea emere dici coepit, qui mercatur. *Vendo* dictum est ex venum & do, unde venundo. Contractus hic denotatur vel duobus vocabulis, *Emptionis & Venditionis* rubr. inst. b. t. quia in duobus hisce factis constitut, factum enim ejus à quo pecunia datur *emtio* & ipse dans emptor,

A 2

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

ptor, ejus autem à quo res proficiuntur *venditio* & ipse *vendor* dicitur, proprie enim emere idem non est quod vendere *l. 1. ff. de contrah. emt. l. 1. ff. de rer. permut.* vel singulis separatim & tum sub uno comprehendetur alterum, *ruber. ff. h. t.* Ita accipe *l. 19. ff. de act. empt.*

#### DISPUTATIO III.

*Est autem Ematio venditio contractus juris gentium nominatus bona fidei consensu constans de re emptori tradenda pro certo pretio.*

*Est Contractus juris gentium l. 7. pr. & §. 1. ff. de pac̄t. origo enim emendi vendendique à difficultate permutationum cœpit, nam cum gentes utilibus inutilia permutarent, non tamen semper alter haberet quod alter forte desideraret, necessitate exigente materia forma publica percussa inventa est, qua in emtione venditione uterentur, ut non minus eleganter quam clare tradit Paul. in pr. l. 1. ff. h. t.*

*Nominatus d. l. 7. §. 1. ff. de pac̄t. habet enim speciale nomen à rebus vel factis quæ in hunc contractum veniunt, ut & actionem eiusdem nominis.*

*Bona fidei quod manifeste liquet ex §. 28. inst. de act. Speciale autem hic est quod bona fides non tantum tempore traditionis sed & conventionis adesse debet l. 2. §. 1. pro emt. l. 3. pro solut. sequitur porro in proposita definitione nostra consensus utriusque, res & pretium, quæ tria plerumque hujus contractus essentialia requisita vocantur, de quibus singulis pluribus agendum.*

#### I V.

Primum substantiale est *consensus utriusque* quia solo consensu contractus hic perficitur, *l. 1. §. 2. ff. h. t.* ita ut non requiratur ad ipsam essentiam traditio, quod omnibus contractibus consensualibus commune est, *t. t. f. de oblig. que ex cons.* Consensus autem debet esse liberrimus, nemo enim iuvitus contractum hunc celebrare cogitur *l. 11. l. 13. C. b. t.* ut rem suam ordinario nemo vendere cogatur, ne quidem justo pretio *l. 9. ff. rer. amot.* sunt tamen casus  
qui

quibus ad vendendum cogi quis potest, sic 1. Religionis causa iter ad sepulchrum invitus etiam vendere debet, l. 12. pr. de reb. & sumt. fun. 2. Dominus cogi potest vendere servos in quos nimium sœvit & hoc ob utilitatem publicam, interest, enim reipub. ne quis re sua male utatur §. ult. inst. de his qui sui vel al. jur. 3. Tempore annonæ victualia, eorum copiam habens, civibus vendere, recte cogitur, l. 1. 2. C. ut nem. lic. in emt. 4. Vicinus proximus etiam cogi potest ut viam potest, cum via publica vel fluminis impetu, vel ruina amissa est, l. 14. §. 1. quemadmo. serv. amitt. ante dicta tamen ita intelligenda sunt ut justo pretio non autem gratis quis vendere cogi possit, l. 49. §. 8. de leg. 1. l. 12. pr. ff. de religios.

## V.

Contraria consensui sunt dolus, vis, metus & error, dolus alius est dans causam contractui aliis incidens; hic est cum aliquis inducitur ad pluris emendum vel vendendum, l. 13. ff. de alt. empt. & facit ut aut emtio rescindatur l. 5. & 10. C. de rescind. vend. junct. l. 37. ff. de dol. mal. aut dolus per actionem empti purgetur l. 13. §. 4. ff. de alt. empt. ille, quando aliquis ad emendum vel vendendum inducitur quod alias empturus vel venditurus non fuisset & reddit contractum ipso jure nullum l. 7. ff. de dol. mal. l. 16. §. 1. ff. de minor.

## V I.

Quod vim & metum attinet nulla differentia statuenda est, utrum in emptionem inciderit, an emptioni caussam dederit, sed semper emtio vi aut metu contracta ipso jure valet, sed ex edicto prætoris rescinditur, l. ult. §. 1. & 3. ff. quod met. caus. l. 1. C. de resc. vendit.

## V II.

Error qui imperitiam detigit consensui maxime contrarius est;

A 3

l. 15.

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

*l. 15. ff. de jurisd.* Et est vel circa ipsum corpus, vel materiam totam, vel circa qualitatem;

Circa ipsum corpus ut si pro sticho qnem emi Dama detur  
arg. *l. 2. ff. de jud. l. 2. §. 16. pro empt.* vel si putem me fundum Cornelianum vendere, tu vero putas te Sempronianum emere, & non dubium est, quin emptio talis vitiet contractum *l. 9. pr. & §. 1. ff. b. t.* in tota materia error est ut si æs pro auro, vel plumbum pro argento emam & talis venditio æque nulla est per *d.* *l. 9. §. 2. b. t.* idem obtinet si in sexu erratum sit *l. 11. §. 1. ff. b. t.* Quod si vero quoad corpus consentiant, quoad qualitatem autem erretur emptio consistit, *l. 21. §. 2. de act. empt.*

Videndum adhuc quid de domo exusta vei destructa dicendum sit, & distinguit *J. C. Paul. in l. 57. ff. b. t.* si res vendita in universum ante contractum perierit ignorantibus contrahentibus, nulla est emptio.

Si pro parte perierit, & quidem minore subsistit contractus, pretio pro rato minuendo. Sin vero pro majore, emptor non tenetur emptioni stare. Si emptor sciverit rem interiisse tenetur venditori id ignorantis, totum pretium persolvere, censetur enim donasse. Sin vice versa venditor sciverit, emptor autem ignoraverit, tenetur venditor emptori ad id quod interest, *d. l. 57. Voet. in Comp. ad ff. b. t. n. 7.*

## VIII.

Personæ ineuntes hunc contractum sunt qui bona sua administrare & alienare atque ita inter se contrahere possunt, *l. 2. b. t.* nisi speciali lege vel ratione prohibeantur, sic prohibentur, tutores, curatores, & alii administratores ex officio quod gerunt emere, idque ob metum malæ administrationis, *l. 34. §. fin. b. t.* sic nec licet magistratui in provincia ubi habitat emere *l. 33. ff. de reb. cred.* propter metum concussionis, quia magis eripere quam emere censetur, & si quid etiam coemerit, non saltem rem ipsam amittit, sed & in quadruplum convenitur secundum constitutionem severi & Antonini *l. 46. ff. b. t.* item prohibentur Manichæi

chri*l. 4. §. 3. C. de haret. & Manich.* Apostat*l. 4. C. de apost.*, furiosi, mente capti, infantes, ratio est quia consentire nequeunt, non valet etiam emptio inter eos quorum alter est in alterius potestate ut inter Dominum & servum *l. 14. ff. de O. & A.* inter patrem & filium *l. 2. pr. ff. b. t.* quod tamen secus est in peculiis castrensis & quasi castrensis*d. l. 2. pr.* quia in his pro patribusam. habentur *l. 2. ff. ad Set. Maced.* præterea cum hoste extra loca a principibus concessa & statuta interdictus est commerciorum usus, *l. 2. 4. & ult. C. de comm. & mercat.* nobiliores denique natalibus & honorum luce conspicui & patrimonio ditiores, perniciosum urbibus mercimonium exercere prohibentur ut inter plebeios & negotiatores facilius sit emendi vendendique commercium, *l. 3. C. d.t.*

## I X.

Secundum hujus contractus substantiale est, *merx*, sive res quæ venditur, licet autem aliquando hæc vox tantum ad res mobiles pertinet *l. 66. ff. de V. S. & l. 207. ff. eod.* hic tamen latius extendi oportet tam ad res mobiles quam immobiles, corporales & incorporeas item servitutes tum prædiales *l. 80. §. 1. ff. b. t.* tum personales *l. 80. §. ult. ff. de per. & comm. rei vend.* & in genere mercis nomine veniunt, omnia quæ vendi possunt, de quibus Paul. in *l. 34. §. 1. ff. b. t.* ita ait: *Omnium rerum quas quis habere vel possidere vel perseguiri potest, venditio recte sit: quas vero natura vel gentium ius, vel mores civitatis commercio exuerant, earum nulla venditio est;*

Verba hujus §. 1. placet paulo latius examinare, & quidem primo quarum rerum emptio venditio recte fiat.

## X.

Non tantum rerum quæ possidentur sed etiam quæ possideri vel occupari possunt, venditio est, *d. l. 34. §. 1. b. t.* sic potest vendi captus piscium, avium & missilium, & emtio contracta erit, et si etiam nihil cuperint, quia spei emtio est, *l. 8. ff. b. s.* è contrario et si

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

et si captum decuplo excedat pretium, nihilominus præstare venditor cogitur l. n. §. ult. l. 12. ff. b. t. Quid si autem non pisces sed aureum forte aliquod vas extrahatur? non erit capientis quia non censetur venditum *Zoef.* in ff. hic num. 26. ubi exempl. refert ex *Val. Max.* lib. 4. c. 1. Si venditor rete v. c. jactare noluerit, boni viri arbitrio relinquuntur æstimatio quid verisimiliter capi potuisset d. l. 12. de act. empt. possunt etiam fructus & partus futuri emi l. 8. pr. ff. b. t. & venditio tum sub conditione facta censetur si nascatur aut edatur, si non emptio est nulla, d. l. 8. l. 15. ff. de pignor.

Frumentum etiam in herba vendi potest l. 8. l. 78. §. 3. ff. b. t. Licit hodie in quibusdam regionibus contrarium obtineat.

### X I.

E contrario res quæ in hunc contractum non veniunt sunt vel natura tales, sic extra commercium sunt, sol, luna, &c. item res quæ non sunt in rerum natura nec esse possunt, ut Chimæra, Hypocentaurus §. 1. f. de Inut. stip. atque harum rerum nec æstimatio nec pœna debetur d. §. 1. & l. 69. ff. de V. O.

Jure gentiam. I. liber homo emtioni venditioni eximitur l. 6. ff. b. t. ratio quia liber homo æstimari nequit, imo ne talis quidem emtio valet cum servus erit, quamvis thes. præcedenti diximus futuras res emi vendi posse, quia fas non est ejusmodi casus exspectare l. 34. §. 2. b. t. Except. tamen est primo in majori 20 annis qui ad pretium participandum se venundari passus est §. 4. In f. de Juri. Pers. II. est in l. 2. C. de patr. qui fil. distr. ubi patri propter nimiam egestatem permittitur victus causa filium filiamve sanguinolentos vendere, quæ venditio et si liberos faciat servos, tamen oblato pretio ab ipsis venditis vel eorum patre, vel quocunque alio recipiunt libertatem d. l. 2. imo & cogi potest pater ditior factus redimere venditos ob cessantem causam. Covarr. 2. var. resol. c. 14. n. 4. in fin. III. Res Sacræ Sanctæ & religiosæ §. ult. f. b. & l. 22. b. t. Si quis autem ignorans talem rem emerit datur ipsi actio exempta ad consequendum id quod interest se deceptum non esse d. §. ult. f. b. t.

Jure

## INAUGURALIS.

Jure Civili quædam res absolute emi vendi prohibentur, quædam secundum quid, absolute prohibentur res publicæ, Theatra, balneæ &c.  
§. 2. Inst. de Inut. Stip. res litigiosæ l. ult. C. de litigios. venena mala, nisi aliis mixta, & nocendi naturam deposuerint, l. 35. §. 2. h.t. purpura quæ solius Principis usui destinata l. 1. C. quæ res vend. non poss. Eunuchi l. 2. C. de Eunuch. annona militaris & frumentum exercitui missum l. ult. C. quæ res ven. non poss. arma, quorum usus privatis interdictus l. un. C. ut armor. us.

Secundum quid prohibentur & non nisi sub certo modo venduntur, res minorum & pupillorum cum decreto scil. judicis, l. 22. C. de administr. & per. tut. Res emphiteutica cuius dominium directum est alterius, alienari non potest, nisi secundum formam in l. fin. C. de jur. Empbit. præscriptam. Feudum Vasallus finē Domini consensu alienare prohibetur Cap. unic. de prob. feud. alien. Mancipium Christianum, Judæis, Paganis aut hæreticis vendere prohibitum est; ne seducant ad feralem suam sectam t. t. C. ne Christ. mancip.

Porro aliquando ultima voluntate prohibetur vel restringitur alienatio l. 114. §. 14. de leg. 1. J. Sand. tr. q. c. 4. & seqq.

### X I I.

Nihil autem interest an res quæ tradenda venit sit propria venditoris an aliena, l. 28. ff. de act. empt. quia venditor non necesse habet rem emptoris, facere l. 25. ff. h.t. l. 11. §. 2. ff. de act. empt. quia venditor non necesse habet rem emptoris facere l. 25. ff. h.t. sed sufficit si emptori rem habere liceat l. 1. pr. ff. de rer. perm. l. 30. §. 1. ff. de act. empt. Cæterum hac venditione vero Domino non sit præjudicium. Sed is recte evincit rem, eaque evicta emtor interesse petit a venditore l. 4. ff. & C. de evict. nisi emptor sciens rem alienam emit l. 27. C. de evict.

### X I I I.

Porro res quæ venditur oportet ut sit certa & determinata, determinatur res vel in genere ad corpus cum certa res venditur, nul-

## XO DISPUTATIO JURIDICA

la facta mentione quantitatis aut saltem tantum demonstrationis causa v.c. Vendo tibi fundum his finibus circumscriptum quod est decem jugerum, que emptio vulgo per aversionem facta dicitur, & statim perfecta est quamprimum de re & pretio convenerunt arg. pr. f.b.t. & l. 35. §. 5. ff. b.t. & notandum est, quod si in hac emptione res vendita excedat quantitatatem demonstrationis saltem causa adjectam, commodo id emptoris cedere, & contra, si minor quantitas postea appareat non tenetur venditor defectum supplere: ex qua enim ratione quod excedit, commodo est emptoris, ex eadem quod deficit emptor petere nequit, & nihil in contrarium facit l. 49. ff. de aet. empt. ibi enim venditio facta est ad modum, Struv. in Synt. Jur. Civ. h.s.th. II. & 13.

### X I V.

Vel determinatur res in specie ut cum venditur ad certam mensuram, quæ tum adjicitur ut modus & restrictio rei quæ venditur v.c. vendo tibi 20 jugera, vel vendo tibi fundum 20 Jugorum tanto pretio, pro quovis jugero, hoc casu si major quantitas inveniatur pretium est augendum, vel venditor id quod superest retinet l. 40. §. 2. b.t.

Si autem minor quantitas inveniatur supplendum erit vel pretio tantum detrahiendum, quantum respondet ei quod deficit, l. 2. pr. ff. de aet. empt. l. 6. cod. iij. & l. 40. §. 2. f.b.t. Struv. cit. b.t. th. II. 12.

### X V.

Ultimum contractus hujus substantiale est, preium sine quo nulla est emptio l. 2. §. 1. ff. b.t.

Unde est quod emptio donationis causa contracta ut emptio non valeat l. 36. ff. b.t. quemadmodum nec valet emptio dicis causa celebrata, uno scil. nummo dato pro re alicujus momenti, l. 46. loc. cond. l. 55. ff. b.t. quod si vero non totum pretium sed pars debetur, ita ut res viliori pretio vendatur; placet valere emptionem;

nisi

nisi inter virum est uxorem facta sit, l. 38. in fin. ff. b. t. Donell.  
in comment. lib. 13. cap. 1. p. m. 132.

## X V I.

Premium autem primo consistere debet in pecunia numerata §. 2.  
J. b. t. l. 1. §. 1. ff. b. t. l. 9. C. b. t. consentiente tamen venditore alia  
res pro pecunia dari potest, modo tamen prius premium in nume-  
rata pecunia constitutum fuerit, & ita explicanda est l. 9. C. de  
ref. vendit. quod si vero ab initio res non pecunia pro re datur,  
non est emptio venditio, sed permutatio sive contractus do ut des  
d. §. 2. & l. 1. §. 1. ff. b. t. Cum autem partim pecunia partim res  
pro re datur, videndum est num partes contrahentes hoc casu ex-  
presserint quis contractus à se initus sit, vel non; priori casu stan-  
dum erit voluntati contrahentium talisque contractus intelligetur  
qualem dixerunt l. 6. §. 1. de act. empt. posteriori casu is erit con-  
tractus qui prætio prævalet arg. l. 34. pr. ff. b. t. Si æquale sit pre-  
mium, in dubio potius dicemus esse emptionem, quia hic est ple-  
nior & frequentior contractus & proinde facilius præsumitur.

## X V I I.

*Secundo.* Debet esse cerum §. 1. inst. b. t. sive id expresse definia-  
tur sive relatione ad aliud, vel demonstratione ostendatur l. 6. ff.  
de reb. cred. ut puta eo pretio quod in arca habeo l. 7. §. 1. ff. b. t.  
vel si in tertii alicujus arbitrium conferatur V. C. quanti Titius  
æstimaverit, d. §. 1. inst. b. t. l. fin. C. eod. in unius contrahentium  
vero arbitrium conferri non potest, & emptio talis nulla est, quia  
non adstringit necessitate contrahentes & nullam parit obligationem  
l. 7. 35. §. 1. ff. b. t. l. 13. C. eod. non obſt. §. pen. inst. b. t. non enim  
premium confertur in arbitrium, sed tantum tempus adjicitur, in-  
tra quod emptor delibera, an rem dicto pretio emptam habere ve-  
lit d. §. pen. Zoef. in comm. b. t. n. 34.

Non valet emptio si tertius notitiatuſ nosit aut non possit pre-  
mium dicere, quia eo casu videtur nullum esse premium, sine quo ta-

## 12 DISPUTATIO JURIDICA

men emptio consistere nequit d. §. 1. & l. ult. C. b. t.

Sed è contrario si ille tertius arbitratus fuerit, omnimodo ejus arbitrio standum est, d. §. 1. & l. ult. C. b. t. nisi forte arbitrium ejus ita pravum sit ut manifesta ejus iniquitas appareat tunc potest redigi ad arbitrium boni viri l. 78. & 79. ff. pro socio. Donell. l. 13, c. 1. p. m. 133. nisi id actum sit inter contrahentes, ne à persona ejus, qui nominatus est recederetur, l. 75. ff. pro socio. Quo casu tamen videtur ejus arbitrio standum propter nimis arctam contrahentium voluntatem, quo casu si alteruter damnum sentiat, non habet quod queratur, quia sua culpa sentit, quod si autem lèslia ita sit enormis ut excedat dimidiā partem corrigi potest per remedium l. 2. C. de rescind. vendit.

## XVIII.

Debet esse justum hoc tamen non adeo stricte sumendum; agit enim venditor, ut paulo carius vendat; & emptor ut vilius emat, l. 8. C. de rescind. vendit. hanc dicitur quod in pretio emptionis naturaliter contrahentibus se invicem circumvenire licet l. 16. §. pen. ff. de minor. l. 22. §. f. ff. locat. adeo ut subsistat etiam emptio utque ad lèslionem ad dimidium l. 2. C. de rescind. vendit.

## XIX.

Quod si ergo consensus utrumque super merce pro certo pretio danda intervenerit, contractus profectus est variosque producit effectus.

Et quidem *primus* est, quod quicquid cohæret rei venditæ tempore venditionis id omne venditum intelligatur sic ædibus venditis ea omnia ædium esse dicimus quæ iis affixa licet instrumento emptio venditio non sit expressum Carpz. 2. c. 2. c. 33. d. 20. vel propter ædes habentur & quasi pars sunt earum l. 13. §. 31. l. 14. 15. 16. 17. pr. & §. seqq. l. 18. ff. de ait. empt. cum equus venditur

quæ-

quæritur, an quoque sella & frenum vendita videantur? Videntum est utrum ornatonis an venditionis gratia ita instructus fuerit, quo casu posteriori simul tradi debent *l. 39. pr. & §. 11. de adilit. edict.*

## XX.

Secundus, quod a contractu hoc perfecto recedere non liceat *l. 3. & 6. C. de rescind. vendit.* ne quidem cum arrharum dispensio. Contractus enim perfectus adstringit contrahentes ut alter si ne alterius consensu recedere nequeat *l. 5. C. de O. & A.* & si non est permisum duplicato pretio oblato recedere ab emptione, *l. 6. C. de rescind. vendit.* multo minus licebit cum dispensione arrharum, utpote quæ dantur ad emptionis confirmationem *l. 35. pr. ff. b. t.* absurdumque esset dispensione arrharum quæ plerumque in re exigua consistunt contractum forte magai valoris posse irritare, neque obstat *pr. Inst. vers. ita tamen b. t.* Vel enim intelligendum est de casu quo alter contrahentium lucro arrharum contentus, actionem ex empto omittit *Bachov. ad pr. Inst. b. t.* Vel restingendum ad emptionem imperfectam & quæ est adhuc in fieri *l. 17. C. de fid. instrum. Vinn. ad pr. b. t.* Cui non obstat quod arrha sit argumentum emptionis jam perfectæ *pr. J. b. t.* Quia etiam est indicium emptionis contrahendæ, *l. 11. §. 6. ff. de act. emp. l. 17. C. de fid. Instrum.*

Aliud autem obtinet in sponsalibus a quibus licet cum dispensione arrharum recedere *l. 5. C. de sponsal.* Quod tamen non operatur ipsa arrhæ datio, sed potius natura sponsaliorum, in quibus jure civili prænitentia locus est *l. 1. C. de spons. l. 2. C. de repud. Carpz. const. Jurispr. l. 2. d. 173. n. 2.*

## 14 DISPUTATIO JURIDICA

## XXI.

Tertius, quod venditor tenetur Dominum aut conditionem usucapiendi in emptorem transferre l. 25. §. 1. ff. b. t. l. 30. §. 1. ff. de act. empt. Nobilissima hoc loco venit quæstio; an venditor qui potestatem rem tradendi habet præcise teneatur ad rem tradendam, vel an præstanto interesse possit liberari? Nos priorem sententiam hisce sequentibus rationibus & legibus probamus;

I. Rei æquitas suadet, cui minime convenit fidem datam frangere; II. Natura correlativorum, si enim emptor præcise cogitur pretium præstare ergo etiam venditor tenebitur eodem modo rem tradere, III. Per l. 68. §. ult. b. t. ubi quod non possit agi, ut venditor rem tradat cum quod multis modis accidere potest, tradendi facultatem non habet. Hinc è contrario cum eam facultatem habet agi potest, ut tradat. IV. Aliud pro alio invito creditori solvi non potest, l. 2. §. 1. ff. de rcb. cred. V. Per innumeros textus quibus traditur quod venditor teneatur rem præstare l. 30. §. 1. l. 50. l. 11. §. 2. de act. empt. §. 1. f. b. t. &c. plures adhuc rationes pete ex Bachov. ad Trentl. vol. 1. disp. 28. ib. 2. Lit. C.

Non obst. hæ leges l. 1. pr. l. 11. §. 9. l. 12. ff. de act. empt. l. 10. ff. quib. mod. pign. solv. l. 4. C. de act. empt. plura adversariorum argumenta vid. ap. cit. Bachov. cit. loc.

## XXII.

Quartus, quod perfecta emptione periculum rei venditæ ad emptorem regulariter pertineat, l. 8. ff. de per. & comm. rei vend. §. 3. Inst. de empt. vend. Quintus, Quod ex natura contractus venditor teneatur l. 6. C. de evict. l. 11. §. 2. de act. empt. Sextus, quod producat actionem empti venditi t. t. ff. de act. empt.

Emptioni

## XXIII.

Emptioni venditioni perfectæ & contractæ solent varia sæpius adjici pacta; ex quibus præcipua sunt;

1. Quando vendedor cum Emptore convenit, ut rem rursus venditurus sibi potius quam alii vendat, quod pactum vulgo vocatur Maederstoep.
  2. Quando res ita vendita est ut si emptori premium quandocunque vel intra certum tempus offeram, restituatur l. 2. C. de pæt. int. emp. & vend.
  3. Si ita res sit empta ut si intra certum tempus vel etiam quandocunque displicuisse, sit inempta l. 31. §. 22. de adil. edit.
- De addicione in diem & lege commissoria quæ frequentissima sunt huic contractui, quia specialis inde est titulus huic loci non erit verba facere.

III



CO-

# COROLLARIA.

I.

*Maritus constante matrimonio est Dominus dotis.*

II.

*Rem alienam etiam legari posse placet.*

III.

*Scripturam in Emphiteusi praece non requiri, puto.*

